



# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76-Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
Tel:02/7345542

## ACADEMIA LINGVAE LITTERISQUE LATINIS FOVENDIS quid profuerit Latinitati Vivae.

Huius Academiae consessus annuus haberi solet quam proxime diem anniversarium urbis Romae conditae, qui celebratur die 21° m.Aprilis. Anno 1986° Academiae consessus habitus est die Martis 22° m.Aprilis in sede instituti, cui nomen "Istituto di Studi Romani" et cuius praestantes veteres aedes eriguntur in summo colle Aventino.

Qua occasione data iter feci Romam cum P.Caeleste Eichenseer, qui ante tredecim annos sodalis factus est huius Academiae.

Cur et quando Academia condita sit imprimis adumbrabo.

Anno 1963° habitus est Argentorati (sive Strateburgi) IIIus Conventus Vitae Latinae. Quamquam consociatio Vita Latina in Francogallia et a Francogallis condita erat, undique gentium confluerunt participes ad hunc conventum participandum, quem ipsi moderatores vocabant "IIIum Conventum internationalem ad linguam Latinam vivam reddendam". Perutile mihi videtur ante lectorum oculos ponere nonnulla vota in fine huius conventus a participibus decreta:



A sinistro superiore angulo photographematis agnoscuntur:  
P.S. SIEDL - P.I.M. MIR -  
P.I. IJSEWIJN - P.N. BARBU -  
P.E. COLEIRO - P.R. SCHILLING -  
P.O. DILKE - P.G. TOWNEND -  
P.S. MARIOTTI - P.P. GRIMAL-  
drix HUSSANI ab actis

cumque, expletis laboribus, Conventus socii censeant linguam Latinam instrumentum per stare efficax ac probatum in disciplinis mathematicis, physicis, biologicis, artibusque liberalibus - ut docti homines inter se commercium ineant, ac praeterea, cum usu ex Conventu compertum habeant in disputationibus habitis cum sociis, qui ex viginti una nationibus convenerant, quorum multi non philologiam profitebantur, potuisse eos lingua Latina colloquia conserere cum in publicis consessibus tum in privatis sermonibus,...

**I VOTUM:** Optant ut instituat Coetus Internationalis ad lexicon vocabulorum Latinorum conficiendum, quo contineantur verba cuiuscumque generis ad eas notiones exprimendas, quae apud scriptores linguae Latinae classicos non inveniuntur.

Cum vero compertum sit singulorum conatus, quamvis laudabiles sint, in quanda rerum confusionem facile devenire, socii optant, ut peritorum labor in eo praesertim sit, ut opera scientifica et technica ex antiquis scriptoribus exquirantur;...

**III VOTUM:** Ut efficacius lingua Latina doceatur, illa magistri praebeant subsidia instrumenta auditoria-visualia, quibus alumni usu cottidiano sermonem Latinum adhibere possint;

ut modo quodam internationali, in diversis nationibus certis quae temporibus, colloquia ad linguam Latinam exercendam colendamque aperiantur;...

In votis quoque est ut, expletis tribus annis, in lia natione praeter Galliam - quod si fieri possit, Romae - conventus proximus habeatur.

(excerpta ex Conventus actis)

Sic evenit ut anno 1966° Conventus Romae lautissime ordinaretur, cui interfuerunt circiter quingenti homines. Ibi statutum est Academiam condere quae res Latinitatis Vivae continuo curaret et quinto quoque anno concilium latinizantium in locum a se electum convocaret.

Quae "Academia linguae litterisque Latinis fovendis" Romae condita est anno 1967°. Primus electus est praeses Petrus Romanelli (Italus). Nicolaus Barbu (Dacoromanus), Iacobus Borovskij (Russus), Petrus Grimal (Francogallus), Iosephus Ijsewijn (Belga), Casimirus Kumaniecki (Polonus), Robertus Schilling (Francogallus), Andreas Thierfelder (Germanus) sunt nonnulli ex conditoribus.

A quo tamen tempore facta est magni momenti mutatio in rebus agendis, id quod iam patet ex titulo mutato: nam, iam non nuntiatur conventus "ad linguam Latinam vivam reddendam" sed "linguae litterisque Latinis fovendis" et in posteris conventibus vix quicquam tractatur quod non pertineat ad litteras antiquas.

Anno 1970°, Ius Conventus ordinatus est Bucurestis a Nicolao Barbu. Cum lingua Dacoromana plerisque participibus ignota esset, fere omnia in conventu Latine tractata sunt, sed solum de litteris antiquis tractabatur.

Anno 1973°, IIIus habitus est in insula Melitensi, praeside Eduardo Coleiro. Ibi etiam ab omnibus tractatus est de litteris antiquis, praeter P. Caelestem Eichenseer qui de duobus primis "seminariis Latinis" quae moderatus erat rettulit; cui rei assensi sunt participes sine commentario. Tunc primum interfuit Oswaldus Dilke, Anglus, qui ibi invenit et amavit Latinitatem Vivam et bis postea invitavit P. Caelestem Eichenseer ad seminarium Latinum in universitate Ledesiensi (Leeds) moderandum.

Anno 1977°, IVus conventus habitus est Daciae, magnificentissime invitante Leopoldo Sedar Senghor, Praeside Rei Publicae Senegalensis. Tunc primum conventui interfui. Ibi valde mirati sumus Leopoldi Sedar Senghor opinionem de ratione docendi linguam Latinam; ille enim non tantum

proclamabat linguam Latinam in scholis docendam esse modo vivo (ut hodie doceri solent ceterae linguae), sed etiam curaverat ut nonnulli universitarii, ducente Francisco R. Chaumartin Francogallo, methodum novam excogitarent, qua a primo anno magister Latine discipulos linguam Latinam doceret; etiam voluerat argumenta ad mentem consuetudinesque discipulorum Africanorum nigrorum apta eligerentur, id quod in methodi titulo apparet, cum sit "AFRICANI LATINE DISCUNT".

Anno 1981°, Vus Conventus habitus est Augustae Treverorum, cui praefuit Victor Poeschl. Conventus fuit frequens, bene ordinatus atque attractivus. Tantum tamen de rebus antiquis tractatum est praeter minimum tempus rebus gestis Societatis Latinae tributum, id quod fieri potuit sola benevolentia Nicolai Sallmann conventus secretarii necnon Societatis Latinae sodalis. Plerique vero participes censebant tantum de rebus antiquis Latine esse loquendum, sed in rebus recentioribus tractandis potius linguis vernaculis utendum.

Evenit ut etiam talibus in conventibus fiant miracula. Augustae enim Treverorum, Valahfridus Stroh, professor litterarum Latinarum in studiorum universitate Monacensi, invenit Ianum Novak, modorum musicorum compositorem Moravum necnon poetam Latinum, qui iam diu Latinitati Vivae favebat. Valahfridus Stroh maxima delectatione audivit nonnullas Phaedri fabulas, quas Ianus Novak modis musicis mirum in modum ornaverat; a quo tempore intima amicitia coniuncti, illi viri anno 1983° primos Ludos Latinos una ordinaverunt.

Anno 1985°, VIus Conventus habitus est Dunelmi in Anglia, praeside Oswaldus Dilke. Qui conventus suam habuit singularitatem; non solum omnes orationes fuerunt Latinae, sed etiam disputationes de argumentis propositis. Ibi oratores tractaverunt de auctoribus antiquis, sed multum etiam de mediaevalibus auctoribus Anglis; unus tantum, Lambertus Pignini Italus, acroasin fecit de Latinis narrationibus depictis (Italice "fumetti"), quas divulgandas curat.

Sic ad horum Academiae sessionem pervenimus. Interfuerunt Vicentius USSANI Italus, Robertus SCHILLING Francogallus, P. Iosephus Maria MIR Hispanus, Nicolaus BARBU Dacoromanus, Stephanus BORZSAK Hungarus, Ioannes IRMSCHER Germanus, Iosephus IJSEWIJN Belga, K. Gantar Iugoslavus, M. PLEZIA Polonus, L. RYCHLEWSKA Polona, P. Caelestis EICHENSEER Germanus, P. Suitbertus SIEDL Austriacus, A. Carolus EGGER Vaticanus, Scaevola MARIOTTI Italus, Eduardus COLEIRO Melitensis, Oswaldus DILKE Anglus et Gavinus TOWNEND Anglus. Cum Aloisius de NARDIS Italus, Academiae praeses, venire non potuisset, Petrus GRIMAL Francogallus rogatus est ut in sessione praesideret.

Infeliciter manifestum est, praeter C. Eichenseer, C. Egger, I. M. Mir et S. H. Siedl, vix ullum sodalem huius academiae ad Latinitatem Vivam operam dare. Immo Iosephus Ijsewijn, cui referendum erat de statu hodierno Latinitatis Vivae, ad summam dixit linguam Latinam hodie ad nullum usum aptam esse, nisi forte ad nonnullos versus pangendos, neque utile esse Latine loqui, sed iam satis esse Latine scribere; quibus sententiis assensi sunt plerique sodales. Quam longe absumus a votis decretis in III° Conventu Vitae Latinae!

Per viginti annos ergo Academia nihil fecit ad linguam Latinam nostris temporibus accommodandam. Hic non perquiremus causas tantae sterilitatis. Licet tamen mirari quod docti professores congregari pergunt solum ad nenas dicendas...

Oratiunculam, quam die 22° m. Febr. anno 1986° in Circulo Bruxellensi habui, paululum mutavi, quia excogitata erat pro auditoribus spectantibus; insuper necessarium erat, ut ex multis imaginibus paucas eligerem, quae maioris momenti sunt.

Plurimum amo ex una parte tempora hodierna cum antiquis iungere, ex altera parte, si mihi est honor orationem Latinam habendi, de illis rebus loqui quae hoc momento temporis mea maxime intersunt.

Ex compluribus annis iam duabus artibus inter se diversissimis studeo, Latinitati enim Vivae et saltationi; ex anno 1976 figuras simpliciores ballationis scaenicae sive classicae didici, tres cursus saltationis Hispanicae, cui nomen "Flamenco" est, feci, plurimum autem amo saltare modo orientali. Saltationem orientalem primum anno 1983° in Tunesia vidi et statim adamavi. Paulo post iam magistram inveneram Persidem, quae in domo culturae animi et corporis Monasterii nobis cursum praebuit. Ibi adhuc saltare disco, sed apud saltatricem Theodiscam, quae etiam saltationem classicam et Hispanicam callet. Vos fortasse saepius de saltatione ventrali audivistis, ego praefero eam appellari orientalem, quod non solum venter una cum coxis, pelve et femoribus movetur, sed etiam superior pars corporis. Ars posita est in separatim movendo aut pectus aut caput aut solum oculos, umeros, coxas ... Si inferior pars trunci movetur, superior pars omnino tranquilla vel immota sit! Certe motus varii etiam coniunguntur, motus manuum et pedum semper accedunt et exstant gradus speciales, sed plurimum saltatur sine magnis mutationibus loci, quia trunci partium motus sunt momenti maximi.

Post hanc parvam descriptionem saltationis orientalis mihi ad Latinitatem Vivam vobis melius cognitam revertendum est.



Exstare enim iuncturam mirificam inter actiones tam diversas plane mihi monstraverunt duo musea, in quibus quaedam monumenta sepulcralia Romana vidi. Primum museum fuit in Colonia Ulpia Traiana, quod anno praeterito inter Seminarium Bottropiense invisi. Subito inter multas imagines exsculptas animadverti unam, quae saltatricem Bacchi monstrat. Secundum explanationem musei haec saltatrix erat pro milite ibi sepulto promissio gaudiorum paradisi, mea autem magis intererat femina ipsa, modus eius saltandi et vestitus. Videtis eam gunnam laxam gerere, quae a coxis pendet. Ipsa pro hac oratione gunnam similem indui. Coxae saltatricis cinctae sunt panno quodam certe pulchro.

Vobis apportavi velamen meum caeruleum, quod nunc eodem modo circa coxas

meas pono atque nodo. Ita motus coxarum in saltando melius animadvertuntur. Pectus eius videtur esse tectum pelusia brevissima sine manicis. Hoc ego propter frigora hiemalia imitari non possum. Velamen alterum circa collum positum est et in tergo demittitur, sicuti adhuc saltatrices orientales faciunt. Velamine meo rosaceo vobis hoc monstabo. Iam conata sum tali modo saltare, ut velum per aera moveretur. Motu autem celerrimo hunc fluxum efficere non potui. Illa certe saltat in vento, fortasse in silva, ubi Bacchae praesertim saltabant. Cogitandum est quoque de artifice qui aliter motum exprimere non potest. Supra caput saltatrix duo cymbala magna concrepat. De his instrumentis musicis solum cogitare coepi, postquam ipsa didici "ad modum... cymbali pedem ponere" (sic Fronto p. 160, 5N dicit). Mihi non sunt tam magna cymbala, sed multo minora atque quattuor, qualia vidi anno praeterito in museo Orolaunensi, ubi nos omnes una fuimus. In permultis monumentis sepulcralibus saltatrices aspici possunt, omnes nudaes, quod velum iam nihil tegit, et "cymbalissantes" (Hemina Hist. 27 hoc verbum cymbalissare scribit).

Una earum quattuor parvis cymbalis canit, manum dexteram supra caput levat et eam demittit sicuti cymbalistris (Corp. V 519 et VI 2254) hodiernae. Cymbala mea sunt in Turcia facta ex permixtis metallis. Parvis cummibus duo in pollicibus tenentur, duo in digitis mediis. Quomodo illae saltatrices antiquae fortasse his cymbalis usae sint, vobis monstare velim. Modo didici rythmum Turcico-Graecum, qui "Tshiftetelli" nominatur. Hac in cenatione Licoppiorum vera scaena exstat, ubi saltabo. Hos gradus et motus manuum pro lectoribus describere non possum; nimis temporis et nimis spatii Melissaesumeret. Et veram saltationem antiquam ex imaginibus deducere non possibile est, quod solum unum momentum temporis ex illa saltatione retinent. Video tamen multas similitudines inter saltationem orientalem hodiernam et Bacchanalem antiquam, quae certe ubique in mundo Graeco-Romano optime nota erat.

Pulcherrima imago saltationis Bacchanalis inventa est post

annum 1940<sup>um</sup> in Britannia (Middenhall, Suffolk). Dionysos, satyri saltant, feminae in vestibus laxis volantibus, partim in latere apertis, una cymbala pulsant, alia summum corpus retroflectit, vela secum habent. Haec imago pateram permagnam argenteam ornat, quam probabiliter summus magistratus Imperatoris Iuliani, Lupicinus, anno 360° p. Chr. n. e Gallia in Britanniam secum portaverat.



Imagino exempla similia in Asia Minore et aliis regionibus orientalibus Imperii Romani conservata esse; sed ibi nondum fui et libros aptos non habeo. In Graecia saltatrices saepissime etiam tympanis et crotalis usae sunt, sicuti monstratur in imaginibus sequentibus. Eas inveni in pulcherrimo libro a Fritz Weege scripto, cui titulus est "Der Tanz in der Antike" (ed. 1926, repr. 1976), in paginis 96 et 127. Delineatae sunt secundum figuras rubras duorum vasorum Graecorum.

Crotala composita sunt ex duabus partibus oblongis, quae in uno latere angusto coniunctae sunt ligamento. Hae imagines Graecae nos recta via in Aegyptum antiquam ducunt, ubi praesertim in Novo Imperio feminae plurimum valuerunt. Exstant multae imagines pictae vel exsculptae, quae feminas pulchre ornatas in palatio saltantes et instrumentis musicis canentes monstrant. Ex illis aspiciamus duas a saltatrice notissima Theodisca, Dietlinde Karkutli, pro libro suo "Das Bauchtanzbuch" (ed. 1983 apud rororo) electas; illa has imagines saltationem ventralem fingere putat.

In prima imagine circa annum 1250 Sakkarae exsculpta octo feminae tympana pulsant, ad modum ingredientes, capita huc illuc vertentes, id quod capilli volantes indicant. Vestes earum sunt translucidae. Multo minores fictae sunt duae saltatrices omnino nudaae, quae eodem modo, opposito autem, genua et coxas multum flectunt crotalis utentes vel crotalissantes; quod verbum apud Macrobius legitur (de diff. 21,18). Dietlinde, quae



Aegyptum bene cognovit, saltatrices populares hodiernas cum cymbalis adhuc sic saltare affirmat.



Secunda imago circa annum 1400<sup>um</sup> Thebis picta est. Iterum feminae, quae tibiis canendo vel manibus plaudendo rythmum indicant, maiores depictae et pulchrius ornatae sunt



quam saltatrices. Hae nudaae saltant, solum coxas cingulo, collum monili lato, brachia armillis ornaverunt; capillamenta sunt simplicia. Motus rursus oppositi sunt, sed non iidem. Coxas plurimum flectunt. Secundum Hans Hickmann, musicae Aegyptiae peritissimum, quem Dietlinde (p. 26 s.) citat, hae puellae iuxta vini amphoras coronis ornatas motus et gestus perficiunt, qui ad saltationem ventralem pertinent; quae olim pro fecunditate saltabatur. Cantilena supra inscripta de fertilitate per aquam adductam et de Nili inundatione agit. Dietlinde hanc interpretationem valde laudat, quia Hickmann alios investigatores non sequitur, qui eas puellas aquam haurire vel subire velle putant. Dietlinde in Aegypto adhuc similem motum exstare affirmat, qui "equulus" vocatur: saltatrix coxas retroflectit et manibus iunctis digitis crepat.

In aspiciendo has imagines attendite quaeso animum ad ventres bene relaxatos. (sequetur in n° 12)

Inga PESSARRA



# Melissa Litteraria

## DE AONI PALEARI POEMATIO AD M. ANT. MAPHAEUM

### Pars posterior

Poematium quo in genere sit scriptum, quis scriperit, quo sit praeconio dignus is qui scripsit, paucissimis iam absolvam. Qui igitur in Ursulae (puellae, nisi omnia fallunt, plane ficticiae) catellum epicedium lusit, ei nomen erat Palearius; summus autem Musarum amor praenomen fecerat ei Aonio. Vir ille Latinus sub exordium saeculi XVI<sup>i</sup> lucem hausit. Adolescens Alexandri Card. Caesarini liberalitate se sustentavit; iuvenis pueros Senenses prima Latinitatis rudimenta domi suae edocuit; mox cathedrarius magister evasit; nam et Lucam et Mediolanum ad bonas litteras profitendas honorificentissime accersitus est, utroque in decennium. At eheu mens eius non solum ad eloquentiam Latinam Camenamque, verum etiam ad Christianam religionem emendandam tantopere est allecta, ut vir ille uti ita dicam Latinissimus, cum opinionem parum sanae fidei habuisset, cum a purpuratis male audisset, diutinum in iudicium sit adductus. Is itaque, cuius haec sunt verba: "neque enim puto Christianum esse hoc tempore in lectulo mori", tantum aberat ut in lecto moriretur, ut detruncatus idemque rogo sit impositus. Scripta vero eius, quamquam exeunte saeculo XVI<sup>o</sup> in indices librorum prohibitorum sunt relata nostroque denique saeculo postliminio donata, nec flammis combusta perierunt nec, ut vere fatear, prius sunt desita legi, quam ratione ea litteraria, quem Romanticismum dicunt, una cum reliquis praestantissimisque humanistarum operibus immerenter sunt oblitterata. Ego contra Palearium et ut poetam et ut pedestrem scriptorem haud parvi duxerim: illum enim Lucretio, hunc Tullio contulerim. Nam, quod De animorum immortalitate libros treis anno 1535<sup>o</sup> in vulgus emisit, omnium princeps putandus est, qui iis temporibus, quae ab humanitate nomen traxerunt, Lucreti vestigia adsidue presserint; quos libellos cum lego Lucretium redivivum mihi legere videor, palinodiam ita canentem, ut de Deo, de anima, de immortalitate Platonicas edisserat sententias. Praeter haec immortalia de immortalitate poemata editum est opus epistolarum, elegantia cum Bembis Sadoletis Longoliis comparandum, structura autem et fabrica illis ipsis propterea anteponendum, quod, celata arte, subtilissimae pro vita apologiae consimile dicendum esse videtur. Orationes etiam XIV ad nostram pervenerunt aetatem eaeque facundiosae; quas cum singulatim persequi spatio exclusus nequeam, duas tantum honoris ergo afferam, alteram, quae in Murenam est conscripta, alteram, quam ille pro se ipse edidit, cum laesae religionis primum esset insimulatus, plenam eam animi, numeris et omnibus perfectam. Actionis autem in pontifices Romanos, operis posthumi, quamvis et hoc eleganter sit textum, iacturam facio; qua de theologi inter se disceptent.

Iam ut ingrediar in propositum, ab anthologicis quibusdam tradita sunt nobis Aoni carmina minora, diversis exarata metris, diversorum ad poetarum exempla efficta, temporibus pacta et divulgata diversis; horum omnium maxime mihi (non uni mihi) arrisit poematum ad Marcum Antonium Maphaeum, Bernardini, quicum Aonius familiariter vixit, fratrem eumque

praesulem (1521-1583) donatum, quod typis denuo tradere legentibusque proponere statui.

De genere pauca. Excipienti poetarum volumina, qui inde a saeculo XV<sup>o</sup> ad hunc usque diem sive Latine sive patriis floruerunt sermonibus bestiolisque quibuslibet nugulas dedicarunt, quasi comucopiae quaedam veniunt obviam, quas uno aspectu cernere et iudicare vixdum queat quisquam; ex his Latina tantum quaedam iuvat me proferre, ut Andreae NAUGERI epicedium in Borgettum lepidum catellum, Marci Antoni FLAMINI de galli obitu carmen, Nicolai BORBONI de passerculo mortuo Rosae puellae, Ioachimi BELLAI voti solutionem (de columba), Petri LOTICHI in funere delphini elegeiam, Iani BROUKHUSI in columbas Petri Francii a fele devoratas, Vincenti BOURNE epitaphium in canem, Iosephi TUSIANI funus in hortulo (de sciuro elegeam). Plura qui cupierit, librum adeat c.t. Amphitheatrum sapientiae Socraticae ioco-seriae, auctore Gaspare Dornavio, Hanoviae editum anno 1619<sup>o</sup>, iterum anno 1670<sup>o</sup>, quo sescenta id genus poemata inter alias res continentur et afferuntur. Hi poetae omnes non uno e fonte antiquo hauserunt, sed ad imitandum sibi proposuere complures, velut Martialem (1, 109 de catella), Ovidium (am. 2,6 de psittaco) eiusdemque imitatore Statium (silv. 2,4). Alia eiusmodi invenies in Carminibus epigraphicis Latinis, quorum unum (numero insignitum 1512<sup>o</sup>) de catella agit; quod Melissae legentibus parum notum esse cum suspicer, iuvat me afferre:

Quam dulcis fuit ista, quam benigna,

quae cum viveret, in sinu iacebat

somni conscia semper et cubilis.

O factum male, Myia, quod peristi.

Latrares modo, si quis adcubaret

ritualis dominae, licentiosa.

O factum male, Myia, quod peristi.

Altum iam tenet insciam sepulcrum,

nec seivere potes nec insilire,

nec blandis michi morsibus renides.

Eis autem omnibus vatibus Gaius Valerius Catullus exempla videtur praebuisse cum Lesbiae passerem bibis cecinit nugis. Hinc igitur factum est ut poemata quae in eo genere sunt scripta Phalaeciis metris saepius astringerentur. Quos vero Palearius pepigit versiculos, Naugerii, ni fallor, epicedio, quod dixi, instinctus, ii cum consuetudine ea et more multis partibus dissident, tum quia cepit ille iambicos trimetros et dimetros eosque alternos, tum quia fusius poemati genus adhibuit; accessit huc deminutorum copia nominum ingens, additis etiam vocabulis, similiter quae desinunt, ut sedulo et ferculo. Nec denique Aonius in tanta verborum profluentia teneri potuit quin nova verba fabriceretur duo, maestulum et delicatulum, perennis quae Latinitatis thesauro addantur oportet.

Theodoricus Sacré

Fundationis scientiis provehendis

Belgicae adsocius.

# SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

## NUMERUS GRANORUM HARENÆ

Iam ante duo milia annorum mathematici veteres spatio numerorum integrorum satis magno utebantur. Quamquam se numeris affirmativis continuerunt, valores numerorum paene usque ad infinitatem pertinuerunt. Archimedes, quem multi maximum mathematicum temporis antiqui appellant, numeros quoslibet auxilio copiae finitae figurarum numeralium tractare potuit. In epistula quadam doctissima ad regem Gelonem limitem superiorem numeri granorum harenæ totum universum ab Aristarcho descriptum complentium computavit, id est numerum granorum in sphaera, cuius diametros est aequalis  $10^{14}$  stadiis (circiter  $185.10^{11}$  chiliometris). Quibus conditionibus numerus granorum fit  $10^{63}$ . Ultra has calculationes astronomicas Archimedes metalinguam ad numeros enuntiandos invenit. Aetatis mediae demum et temporis recentioris mathematici signa numeralia ad magnos numeros tractandos aptiora et rationem enuntiandi meliorem finxerunt.

Romani animum ad pervestigaciones Archimedeas non attenderunt, sed spatio numerorum potius practico contenti fuerunt, etsi et mathematicis et astronomicis Romanorum opus fuit magnis numeris, e.g. in terminando distantias stellarum errantium a terrae globo aut aliarum urbium orbis ab aliis.

In tabula sequenti exempla aliquot numerorum magnorum Romanorum rationem formandi demonstrantia composita sunt.

Signa moderna	signa Romanorum	enuntiatio numerorum
100 000	$\overline{\text{C}}$	centum milia
1 000 000	$\overline{\text{X}}$	decies centena milia
2 000 000	$\overline{\text{XX}}$	vicies centena milia
10 000 000	$\overline{\text{C}}$	centies centana milia
100 000 000	$\overline{\text{M}}$	millies centena milia
77 777 777	$\overline{\text{DCCLXXVII}} \overline{\text{LXXVII}} \overline{\text{DCCLXXVII}}$	septingentes septuagies septies centena milia septuaginta septem milia septuaginta septuaginta septem

### Tabula I. Numeri magni Romanorum.

Non omnes signis eodem modo usi sunt. Verba centena milia saepe ommissa sunt. Complures milies pro millies scribunt.

Numerus maximus, quem ratione Romanorum adhibita enuntiare possumus, sine dubio 99 999 999 999 est. Veri simile est -ut grammatici opinantur- numerum maximum in scriptis Romanorum veterum traditum quantitatem aeris alieni imperii Romani nominavisse, quamvis verbis tantum duobus expressum. C. Suetonius Tranquillus in conclusione capitis sextii decimi vitae Vespasiani scripsit :

Sunt contra, qui opinentur (Vespasianum) ad manubias et rapinas necessitate compulsus, summa aerarii fiscique inopia ; de qua testificatus sit initio statim principatus : professus quadringenties millies opus esse, ut res publica stare posset. Quod et veri similis videtur, quando et male partis optime usus est.

Abacus, qui instrumento computatorio antecessit, et calculationes ad pervestigaciones mathematicas pertinentes atque auxilio abaci factae spatium numerorum nonnullis potestatibus decadis amplificavit. Tabula II notas numerorum e Gerberti de Remiis (940-1003) regula de abaco computi sumptas explicat.

$10^6$	$\overline{\text{XC}}$	aut $\overline{\text{IM}}$
$10^7$	$\overline{\text{CC}}$	aut $\overline{\text{XIM}}$
$10^8$	$\overline{\text{IC}}$	aut $\overline{\text{CM}}$
$10^9$	$\overline{\text{XC}}$	aut $\overline{\text{IM}}$
$10^{10}$	$\overline{\text{CC}}$	aut $\overline{\text{XIM}}$
$10^{11}$	$\overline{\text{MIC}}$	aut $\overline{\text{CIM}}$
$10^{12}$	$\overline{\text{MIIM}}$	
$10^{13}$	$\overline{\text{XIM}}$	
$10^{14}$	$\overline{\text{CIIMM}}$	
$10^{25}$	$\overline{\text{XIMMIIMM}}$	
$10^{26}$	$\overline{\text{CIIMMIIMM}}$	

### Tabula II. Notae Gerberti.

Praeter notas Gerberti figurae Indorum (sive Arabum) paulatim in usum venerunt, etsi contra consuetudinem nostram ante singulas triades prima excepta punctum scriptum est (e.g. 77.777.777.777).

Praecepta pronuntiandi numeros in libro algorizmi, qui vocatur, invenitur (saeculo duodecimo translato in Latinum) :

Notandum quot ternarii tot fiunt puncti, et quot fuerint puncti tocies mille debet pronuntiari.

Denique : Secundum numerum punctorum repetatur denominatio millenorum, in ultimo pluraliter, in penultimo singulariter, in reliquis adverbialiter, excepto ternario primo ad dextram posito.

Exemplum supra memoratum lectorem lingua haesitandum curet :

77 777 777 777 septuagies septies milies mille milia septingentes septuagies septies mille milia septingentes septuagies septies mille septingenta septuaginta septem.

Pensum quoddam-simplex, quod e libello "Propositiones ad acuendos iuvenes" sumpsit, lectori ostendat, quo modo minime perspicuo magistri et discipuli aetatis mediae numeros magnos

tractaverint. Auctor illius libri fuit Alcuinus abbas (736-804), qui anno 782 a Carolo Magno e Britannia in Galliam vocatus usque ad mortem suam scholae regiae princeps fuit. Propositio tertia decima simillima est ei aenigmati certissime omnibus noto, quod cum ludo latrunculorum (sive scacorum) coniunctum est. In solutione ab Alcuino data summa seriei geometricae finitae non secundum formulam

$$S_n = \frac{q^n - 1}{q - 1}$$

$S_n$  ... summa seriei  
 $q$  ... quotus  
 $n$  ... index summationis

sed singulis summis interiacentibus seperatim annotatis computata est.

Propositio de rege et de eius exercitu.  
 Quidam rex iussit famulo suo colligere de XXX villis exercitum eo modo, ut ex unaquaque villa tot homines sumeret quotquot illuc adduxisset. Ipse tamen ad primam villam solus venit, ad secundam cum altero ; iam ad tertiam tres venerunt. Dicat, qui potest, quot homines fuissent collecti de his XXX villis.

**Solutio.**  
 In prima igitur mansione duo fuerunt, in secunda IIII, in tertia VIII, in quarta XVI, in quinta XXXII, in sexta LXVIII, in septima CXXVIII, in octava CCLVI, in nona DXII, in decima I XXIII, in undecima II XLVIII, in duodecima III XCVI, in tertia decima VIII CXCI, in quarta decima XVI CCCLXXXIII, in quinta decima XXXII DCCLXVIII, in sexta decima LXV DXXXVI, in septima decima CXXXI LXXII, in octava decima CCLXII CXLIII, in nona decima DXXIII CCLXXXVIII, in vicesima mille milia XLVIII DLXXVI, in vicesima prima bis mille milia XCVII CLII, in vicesima secunda quater mille milia CXCI CCCLIII, in vicesima tertia octies mille milia CCCLXXXVIII DCVIII, in vicesima quarta XVI mille milia DCCLXXVII CCXVI, in vicesima quinta XXXIII mille milia DLIII CCCXXXII, in vicesima sexta LXVII mille milia CVIII DCCCLXIII, in vicesima septima CXXXIII mille milia CCXVII DCCXXVIII, in vicesima octava CCLXVIII mille milia CCCXXXV CCCCLVI, in vicesima nona de XXXVI mille milia DCCCLXX DCCCCXII, in tricesima villa milies LXXIII mille milia DCCXLI DCCCXXIII.

Homines docti ceteriorum temporum nominibus numeralibus novis quamvis incommode creatis spatium numerorum denominatum extendere conati sunt. In tabula III nomina numeralia una cum potestatibus decadis consentientibus composita sunt.

EUROPA	FRANCOGALLIA AMERICA	NOMINA NUMERALIA
$10^6$	$10^6$	milio
$10^9$		miliardum
$10^{12}$	$10^9$	bilio
$10^{15}$		biliardum
$10^{18}$	$10^{12}$	trilio
$10^{21}$		triliardum
$10^{24}$	$10^{15}$	quadrilio
$10^{27}$		quadriliardum
$10^{30}$	$10^{18}$	quintilio
$10^{33}$		quintiliardum
$10^{36}$	$10^{21}$	sextilio
$10^{39}$		sextiliardum
$10^{42}$	$10^{24}$	septilio
$10^{45}$		septiliardum
$10^{48}$	$10^{27}$	octilio

$10^{51}$		octiliardum
$10^{54}$	$10^{30}$	nonilio
$10^{57}$		noniliardum
$10^{60}$	$10^{33}$	decilio
$10^{63}$		deciliardum
$10^{66}$	$10^{36}$	undecilio
$10^{69}$		undeciliardum
$10^{72}$	$10^{39}$	duodecilio
$10^{75}$		duodeciliardum
$10^{78}$	$10^{42}$	tredecilio
$10^{81}$		tredeciliardum
$10^{84}$	$10^{45}$	quattuordecilio
$10^{87}$		quattuordeciliardum
$10^{90}$	$10^{48}$	quindecilio
$10^{93}$		quindeciliardum
$10^{96}$	$10^{51}$	sedecilio
$10^{99}$		sedeciliardum
$10^{102}$	$10^{54}$	septendecilio
$10^{105}$		septendeciliardum
$10^{108}$	$10^{57}$	octodecilio
$10^{111}$		octodeciliardum
$10^{114}$	$10^{60}$	undevigintilio
$10^{117}$		undevigintiliardum
$10^{120}$	$10^{63}$	vigintilio
$10^{123}$		vigintiliardum




**Tabula III. Nomina numeralia moderna.**

Auctores complures pro syllabis ultimis substantivorum femininorum -ilio:-illio scribunt (ergo pro  $10^6$  aut milio aut millio scribi licet). Vocabula undecilio, duodecilio, etc. non in usum omnium recepta sunt ; qua de causa ratio scibendi non est accurate definita (e.g. alii undevigintilio, alii novemdecilio scribunt). Cum mathematici Europae -mundo Francogallico excepto- nominibus miliardum, biliardum etc. utantur, vis nominum numeralium quasi terrae, qua nomina pronuntiantur, subiecta est, quod impedimento est mathematicae accurationi. Ut omnia verba numeralia Latina quattuor formas habent (videlicet formam verbi numeralis cardinalis, ordinalis, distributivi et adverbii numeralis), ita etiam nomina nova : milio, milionesimus, milioneni, milionies ; miliardum, miliardesimus, miliardeni, miliardies.

Exemplum supra memoratum hunc in modum legitur : septuaginta septem miliarda septingentae septuaginta septem miliones septingenta septuaginta septem milia septingenta septuaginta septem.

Numerus, qui hoc modo numerari potest, maximus est :  $10^{126} - 1$  (nongenta nonaginta novem vigintiliarda ... nongenta nonaginta novem). A  $10^{126}$  usque ad infinitatem ingens mare numerorum nominibus vacantium pertinet duobus scopulis eminentibus : centilio ( $10^{600}$ ) et centiliardum ( $10^{603}$ ).

Commentationem praesentem de re mathematica raritate notabili scribens concludam. Hugo Steinhaus, mathematicus Polonicus, anno 1950 has notas et hanc enuntiandi rationem numerorum maximorum tractandorum causa proposuit.

NOTAE	ENUNTIATIO	DEFINITIO	VALORIS
	n in trigono		$n^n$
	n in quadrato		n in n trigonis
	n in circulo		n in n quadratis

Tabula IV. Notae Steinhausianae.

Steinhaus notam (2) mega, notam (10) megiston appellavit. Iam numeri in quadrato tantum per unum digitum expressi valorem ingentem habent.

Exempli gratia :

$$\boxed{2} = \triangle 2 = \triangle 4 = 4^4 = 256.$$

$$\boxed{3} = \triangle 3 = \triangle 27 = \triangle 27^{27} = (27^{27})^{(27^{27})}$$

Numerus  $\boxed{3}$  plus quam  $10^{40}$  digitos habet.

TERMINI TECHNICI

$10^{14}$  quarta decima potestas numeri decem  
 quarta decima dignitas numeri decem  
 quarta decima potestas decadis  
 decem in quartam decimam

EX ORBE LATINO.EX IAPONIA.

Arituneus Dominae Dianae Licoppe suae, editrici spectatissimae, s.d.p.

MELISSAM (fasc.9) accepimus pulcherrimam animo iucundissimo. pro benignitate tua eximia gratias tibi ago ex animo summas singularesque. etiam de me scribis pulcherrime. gratias! nunc dedicare tibi uelim septenarios trochaicos hos. (quos, si tibi libeat, in lucem prodes.)

AD MELISSAM MAXIME HONORABILEM

Ver ut aduentat sonorum, campus ut fit floridus,  
 incipit, Melissa, tempus, quod tuam est in regiam  
 dulciora ferre mella, nectar illud, aptius.  
 tu legas iam litterarum mel, Melissa doctior!

5 aequa fautrix, uerba summo iure cuncta metiens,  
 das suorum cuique calamo semper operum gloriam.  
 sic uoluntas grata nobis: gratiam refero tibi.  
 tu legas orationum mel, Melissa celsior!

quo uolare cumque mauis, Hybla, gaza dulcium,  
 10 aut Hymettus reperiatur esse deliciae tibi:  
 sunt tamen noua rura Cereris, quae, Melissa, te uocant.  
 tu legas lectum poetae mel, Melissa uenustior!

CECINIT MENSE MARTIO A.V.C. MMDCCXXXIX

ARITVNEVS MIZVNO (poeta Iapo)

$a^n$  n-ta potestas ipsius a  
 n-ta potestas quantitatis a  
 a in n-tam

spatium numerorus Zahlenraum  
 espace des nombres  
 number space

numerus affirmativus positive Zahl  
 nombre positif  
 positive number

instrumentum computatorium Computer  
 ordinateurur  
 computer

quotus Quotient  
 quotient  
 quotient.


Petrus HRANDEK.

Curabis, mea Domina, ut optime ualeas, ac perges mihi fauere.

Scr. Kioti V Non. Mart.

Tuus *Aritsune Mizuno*

Gratae vibrant Melissa alae, quas trochaico rhythmico impellere dignatus es, tu mirus poeta Latinus qui carmina censes pangenda ut canantur...

SPELUNCA SANCTI ANTONINI

Introrsum pars Visigothorum sub altari templi hodierni: duae columnae inter vacuum inspiciuntur locum. Pars anterior, seu quam Sancius III Maior Navarrensis struxit, amplius est atque in aditu puteus; hodie per scalam introitur. Imago sancti extemporanea nam ubi martyr periit dalmaticis in Galiis non utebantur diaconi: in manu dextra palmam habet, in humero et dextero gladium, symbola martyrii



# Mathematica induit vestem latinam !

Est vere plaudendum consilio doctissimi viri Petri HRANDEK, qui sibi proponit explicare Latine in "Melissa" res mathematicas et scientificas.

Ego iamdiu expertus sum quantum iuuet non modo ad perfecte cognoscendos numeros (quorum usus in sermocinatione est creberrimus), sed etiam ad reddendos discipulos faciles et expeditos in adhibenda lingua Latina, si eos assuefaciamus ad exponendas Latine varias computationes mathematicas.

Oportebit quidem illis offerre vocabula et exempla, quae ipsi postea possint adhibere in perficiendis singulis computationibus quas eis adsignabimus. Professor ergo qui optabit frui his exercitiis, dedebit ipse offerre exemplum, loquens et eodem tempore scribens in tabula nigra, ita ut discipuli arripiant vocabula, ut ita dicam, technica, quibus indigent ut et ipsi, vocati ad tabulam nigram, conficiant computationes.

Sic ergo professor, plus minusve, inibit praelectionem : In qualibet lingua, cognitio numerorum est res maximi momenti. Ideo, ante omnia, necesse est discere memoriter et maxima celeritate sive numeros cardinales sive numeros ordinales. Postquam vero quis didicerit sat bene numeros Latinos, nulla existit methodus melior ad reddendam securam et expeditam cognitionem eorum, quam conficere arithmeticas computationes. Incipiamus igitur a summa : scribo triginta quattuor plus viginti tria (1)

$$\begin{array}{r} 34 + \\ 23 \\ \hline \end{array}$$

Nunc conficio computationem : quattuor plus tria, septem; tria plus duo, quinque; ergo fit 57 (quingenta septem).

Nunc autem faciamus aliquid minus simplex : scribo septuaginta septem plus nonaginta octo

$$\begin{array}{r} 77 + \\ 98 \\ \hline \end{array}$$

Facio computationem : septem plus octo, quindecim; scribo quinque et repono unum; septem plus novem, sedecim, plus unum repositum, septendecim, ergo fit 175 (centum septuaginta quinque).

Hic professor vocabit ad tabulam nigram singulos discipulos et eis proponet summas primo simplicissimas, inde paulo minus simplices, curans ut illi adhibeant exacte verba propria computationis.

Exinde professor poterit transire ad subtractionem (Boeth.), sic : scribo quadraginta sex minus triginta duo

$$\begin{array}{r} 46 - \\ 32 \\ \hline \end{array}$$

Ineo computationem : sex minus duo, quattuor; quattuor minus tria, unum; ergo fit 14 (quattuordecim).

Oritur difficultas cum numerus subtrahendus est maior quam numerus minuendus (e.g. 36 - 27; non possum deducere septem a sex); in his casibus, detraho unum a numero ad eius laevam, et considero non "sex", sed "sedecim"; tunc sedecim minus septem fit novem; tria autem deminutum est et factum est "duo"; ergo duo minus duo fit zerum (2); ergo "exitus" (result, résultat, Resultat) subtractionis erit 9 (novem).

Etiam hic, professor curabit conficienda complura exercitia, donec discipuli assecuti erunt securam celeritatem in conficiendis

computationibus, loquentes elata voce dum scribunt.

Professor autem poterit prosequi tangens de "summa algebraica", sic plus minusve inchoans sermonem :

Nunc procedamus ulterius. Vos scitis existere seriem numerorum "naturalium", quae incipit ab "uno" usque ad infinitum. Sed existit alia series numerorum "relativorum", quam componunt numeri "negativi" et numeri "positivi", seiuncti signo "zero", sic :

$$\dots -4, -3, -2, -1, 0, +1, +2, +3, +4 \dots$$

Quod spectat ad hos numeros "relativos", fit solummodo "summa algebraica", hoc modo :

ponuntur omnes, unusquisque cum suo signo, in serie; inde fit summa seiunctim omnium positivorum et omnium negativorum; obtinebuntur tandem solum duo numeri "relativi"; tunc a maiore deducetur minor, et numerus, qui fiet, habebit signum maioris. Est res simplicissima, etsi explicatio videtur esse aliquantulum involuta. Sit exemplum :

$$+2 +8 -4 +7 -9 +3 -6 +5 = (\text{equale}) ?$$

Conficio computationem : facio summam, addens 2,8,3,5 (qui sunt omnes positivi); fit +18 (plus duodeviginti); postea conficio summam, addens 4,9,6 (qui sunt omnes negativi); fit -19 (minus undeviginti). Nunc autem a 19 (qui est maior), deduco 18 (qui est minor); undeviginti minus duodeviginti fit unum; tunc praepono numero 1 signum maioris, sic : -1. Ergo "exitus" nostrae "summae algebraicae" est -1.

Concludam, animadvertens esse vere fructuosum initiare discipulos sive elegantibus et quodammodo arduis calculis doctissimi professoris HRANDEK, sive simplicissimis computationibus quae pertineant ad prima elementa arithmetica. Sic discipuli non modo discent optime numeros, sed exercebuntur quoque simplici sermocinatione Latina.

Alias explicabuntur divisio et multiplicatio.

(1) In calculis, numeri cardinales qui sint declinabiles adhibentur genere neutro.

(2) "Zerum" (Egger) est neologismus inevitabilis.

Nunc autem referam quid evenerit mense Septembri anni elapsi in Universitate Lusitana urbis Coimbrae, in VII Congressu mathematicorum stirpis neolatinae; aderant viri docti Lusitani, Hispani, Itali, Francogalli, Dacoromani, Americani meridionales et unus Iapo.

Professor Rodulfus Salvi (qui fuit quondam meus discipulus in lyceo humanistico), docens res mathematicas in Universitate mediolanensi, cui nomen "Politecnico", recitavit Latine suam relationem "De existentia solutionum debilium periodicarum circa aequationes quae nominantur a Navier-Stokes". Haec autem praefatus est:

"Ego exponam meam dissertationem lingua Latina, utique lingua Latina planissima et crystallina. Ego enim pro certo habeo linguam Latinam posse esse optimum et liquidum instrumentum communicationis inter omnes viros doctos non modo Europae, sed etiam exterarum nationum. At una condicione : ut sit non "litteraria", id est non sit implicata et architectonica ut fuit lingua exquisita Auctorum Latinorum, sed sit "colloquialis", "cartesiana", id est praedita dispositione recta et praesentanea intelligibilitate; debet enim sequi "genium" et

morem saeculi vicesimi, quod est saeculum evidentiae, scientiae et velocitatis; saeculum quod hoc tantummodo postulat a scribentibus et a loquentibus, ut sint ilico et confestim intelligibiles. Et spero meam latinam dissertationem fore subitariae intelligibilitatis et crystallinae evidentiae."

Novitas dissertationis habitae lingua Latina allexit praesentes, quorum non pauci ominati sunt ut eiusmodi mos fieret magis magisque frequens in Congressibus scientificis; lingua enim Latina, aliter ac fere omnes linguae hodiernae, possidet phoneticam certam et liquidam (longe alia est phonetica e.g. linguae Anglicae); praeterea, si eius structura sit linearis et liquidae simplicitatis, potest procul dubio fieri lucidum instrumentum communicationis inter omnes doctos non modo Europae sed totius quoque mundi.

Guido ANGELINO

### Ex Hispania nuntiatur...

Iam diu nihil audiveramus de Barbara Pastor Artigues, quae anno 1984° tempore Paschali Ferias Latinas Matrini ordinaverat.

Johannes Albertus Moreno Tortuero invenis amicus noster Matritensis, quem per Barbaram Pastor ante duos annos novimus, modo ad nos scripsit se in universitatis Matritensis bibliotheca hoc nuntium expositum invenisse :

#### THE NEW SEIZIN PRESS

VOS OMNES SALUTAMUS, QUI LINGUAM LATINAM FOVEMUS ET QUI ETIAM UNA CUM NOBIS PUTATIS ATQUE SPERATIS FORE UT LINGUA LATINA COMMUNIS INTER OMNES GENTES SIT.

PROPTER AUTEM QUINGENTOS ANNOS AB RE TYPOGRAPHICA INSTITUTA IN INSULA MAIORICA, NOS DECREVIMUS PER LINGUAM LATINAM SCRIPTORUM CONVENTUM IUNGERE AD POESIS HONOREM, ANIMORUM DUCIS ET ANIMARUM MILITIS.

CONSILIUM ENIM NOSTRUM EST EDITIONEM BIBLIOPHILAM COMPOSERE NUMERI LIMITE, (CCL EXEMPLARUM) MANU ATQUE TYPOGRAPHIA PLUMBEA FACTORUM.

OMNIBUS ILLIS SCRIPTORIBUS, QUORUM POESIS ELICTAE FUERINT, UNUM EXEMPLAR LIBRI EDITI MITTETUR.

QUAESO, AMICE, NOTA BENE QUID NUNC TIBI DICAM:

- I. POESIS LINGUA LATINA SCRIBATUR ET MACHINA SCRIPTORIA.
- II. POEMA NON SUPRA QUINQUAGINTA LINEAS AMPECTATUR.
- III. POTISSIME POEMATA BREVIORA ELIGENTUR.
- IV. RES DE QUA AGATUR LIBERA OMNINO ESSE POTEST.
- V. NOBIS MITTERE VELIS PRIUS MENSE AUGUSTO.
- VI. QUAESO, NON EXEMPLAR ORIGINALE MITTATUR, NAM NOBIS ANIMUS REDDENDI NON EST.
- VII. MITTAS QUAM PRIMUM, QUAESO, HUIC INSCRIPTIONI CURSUALI:

D. TOMÁS GRAVES, DEIÀ, MALLORCA (HISPANIA).

TE SALUTAMUS EX TOTO CORDE.

TOMÁS GRAVES, IMPRIMIT 'THE NEW SEIZIN PRESS'  
BÁRBARA PASTOR, 'ZURIEL', PROF. LINGVAE LATINAE  
MATRITI

ANTONIA ORDINAS, TAB. LIBRARIA 'BYBLOS', PALMAE.

IN INSULA MAIORICA, MENSE IUNII ANNI MCMLXXXVI.

## UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

### SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur tria seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cotidianum:

-27/7 - 2/8/1986, Morsaci (Morschach) in HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH

Aeschistr. 6

CH- 3110 Münsing

Tel. 031/920823

-16/8 - 23/8/1986, Vestendae in BELGICA (ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE

Av. de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles

Tel. 02/7350408

-24/8 - 6/9/1986, Bottropii (Bottrop) in Rhenania Vestfalica (GERMANIA); seminarium duarum septimanarum, quibus consuetudo loquendi in usum expeditiorem evadere solet. Ad quod participandum interrogandus est:

Rochus HABITZKY

Albertus-Magnus-Strasse 7

D-4100 Duisburg 25-Huckingen

Tel. (0203) 78 14 30

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, duarum septimanarum 240 marcae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland. Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel hospitiiis.

### FERIAE LATINAE

pro his qui intenso labore se studio et usui linguae Latinae dedicare voluerint anno 1986,

moderante Prof.P.Suitberto SIEDL,

deo volente celebrabuntur his in locis:

-16/7 - 25/7 1986

Katoliski dom prosvete SODALITAS

A-9121 Tainach/Tinje (Carinthia-Austria)

-4/8 - 11/8/1986

Cistercijanska opatija STICNA

YU-61295 Ivancna Gorica (Slovenija-

Jugoslavija)

ad quas ambas Feras participandas interrogandus est :

P. Suitbertus a S.Joanne a Cruce O.C.D.

Karmeliten-Konvent

Landstrasse, 33 A-4020 Linz a/Donau

-23/8 - 30/8/1986

in castello "LA CASTILLE"

F-83260 La Crau (Provincia-France), ad quas Feras participandas interrogandus est:

M.C.DESESSARD

Résidence des Collines, C9,

rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

Tel: 93 49 01 91

Ergo Latini poetae invitantur ut poematum mittant.

NON AMOR HOS SOLVS LVDOSQVE MODOSQVE DOCEBIT  
SANCTE SIMVL NOBIS CORBINIANE FAVE



## LVDI LATINI MCMLXXXVI



Valahfridus et Georgius Monacenses Latini sermonis amatoribus salutem dicunt.

LVDOS LATINOS secundos anno praeterito Augustae Vindelicum feliciter peractos esse aut vidistis ipsi aut fortasse ex aliis audivistis. hoc autem anno vos ad tertios LVDOS vocamus, qui moderantibus nobis erunt a die 23 ad diem 26 m. Oct. Frisingae in urbe vetustissima et Latinissima, cui hodie Freising nomen est. hos LVDOS, etsi minores erunt quam Augustani, non tamen splendore volumus carere ac dignitate: dicent homines nobilissimi, canent musici optimi. sed curabimus etiam magis quam olim, ut opera plurima ab ipsis LVDORVM LATINORVM sodalibus edantur, pauciora artificibus eruditis reserventur. iterum igitur vis ipsa ac tamquam robur LVDORVM positum erit in pauciorum colloquiis, quae scholae dicuntur, et in cantu communi. accedent more iam solito orationes, disputationes, periegeses, saltationes, acroases musicae, fabulae scaenicae et cinematographicae. ac quoniam Frisinga urbs est perquam religiosa, hos LVDOS in summa iocorum festiuitate magis quam antea Christiana disciplina imbutos esse cupimus. eam ob causam, si per caelum licebit, incipient a peregrinatione: die 23 m. Oct., qui poterunt, congregabuntur mane in Foro Mariano Monacensi; tunc ibitur primum curru publico Ismaningam, deinde pedibus iter fiet Frisingam, ubi vesperi Initium sollemne habebitur. cetera discetis ex Indice rerum gerendarum, qui quam primum divulgabitur.

Pernoctatio dabitur et in multis deversoriis publicis et in aedibus Kardinal-Döpfner-Haus (quae sunt in monte ecclesiae cathedralis, i. e. Am Domberg), ubi diebus 24 et 25 m. Oct. non ientare solum, sed etiam prandere et cenare licebit. ibi qui deverti voluerit, indicet id nobis, item nobis usque ad d. 10 m. Sept. centum viginti sex marcas (126.- DM) transcribat. qui aliis in deversoriis dormire cupient, ipsis scribant cauponibus eisque dicant se LVDORVM LATINORVM sodales esse. praeterea omnibus sodalibus solvendae erunt quadragenae marcae (40.- DM) exceptis scholaribus i. e. discipulis universitatum et gymnasiorum, qui vicens quinque marcas (25.- DM) pendent. hanc summam vos rogamus ut iam tunc mittatis, cum indicabitis nobis per litteras vos LVDIS LATINIS interfuturos esse. transcribenda est autem omnis pecunia huc:

Nr. 1720280015 Hypo-Bank München (BLZ 70020001):  
Sodalitas LVDIS LATINIS faciundis e.V.

Epistulas autem vel schedas, quibus nomina profitemini, mittite huc: Jürgen Leonhardt, Wiss. Assistent am Institut für Klassische Philologie der Universität München, Geschwister-Scholl-Platz 1, D-8000 München 22. si quibusdam de rebus telephonice certiores fieri volueritis, appellate Evam Mariam Leikam amanuensem, quae diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris ab hora 11 ad horam 12 a. m. sub hoc numero 089/21803421 respondebit.

Hi quoque LVDI dedicati erunt memoriae Iani Novák, musici divini, cuius modos Amore magistro canemus et celebrabimus. hunc vos deum piis votis vocate et venite ad vestros LVDOS LATINOS. valete.

Scr. Monachi d. 21 m. Febr. 1986

Wilfried Stroh  
Jürgen Leonhardt

# De spelunca sancti Antonini Palentinae urbis.


Spelunca Visigothorum centrum Palentiae novae fit. Rex Navarrensensis supra eam solidum templum calcariis saxis quam primum strui mandat et perficitur. Adhuc suo splendore viget et cuiusdam illustrat. Vetus pars ut inventa fuit manet :ne petrae minutae cavum impediunt ante eam alteram fabrica nova aedificaverunt. Unum puteum nunc aqua plenum in aditu superest, an rex perfodiendum statuerit an apertum invenerit nescitur. Modo die sancti Antonini eius aqua omnibus ut bibant praebetur, distribuitur : en traditio saecularis nondum extincta. Fenestras nonnullas in fere quadrangula aula novi templi ad lucem rex disposuit, et sunt, attamen in praesentia lux per eas nullo pacto ingreditur quod sub solum vel infra aream terrae modo supersunt. Certissimis verbis nova vetusque spelunca inter se amplo sensu communicantes subterraneum in medio ecclesiae locum cathedralis saeculo XIV structae apparent, qua de causa lux tantum per aditum praebetur. Fodere trans columnas Visigothorum non licet nam sub maiori ara cathedralis subsunt, qua si rudera illius partis extrahantur aedificium graviter periclitabitur, diruetur, sic nemo hanc gerere operationem hucusque ausus est. In aditu templi Sancii regis unum armorum seu stemna adest, in quo sinistrorsum signa regis inspicuntur, dextrorsum imago sancti Antonini.

In primis reliquia seu ossa martyris diaconi ibidem iuxta novum altare apponuntur, qua gratia Maria Virgo in principio patrona devotionis causa omnium Hispanorum, continuo patronus sanctus quorum ossa rex obtinere potuit addicetur, ita nova civitas atque urbs Palentia aliquid sanctum exinde includet, ubi quondam ignota inclusisset sacra, rex populusque cogitabat

agnosciturque.

Ergo sedis episcopalis in nova et parva ecclesia, simplici aedificio, simul auctoritate Romana accedente ad ripam quoque contrariam reinstaurabatur. Pontius, Gotalaunus seu de Marca Hispanica, monarchus, episcopus Ovetensis ab Ildefonso V (999-1028) olim factus fuerat, sed negotia contraria ipsius reipublicae ex dioecesi sua expulissent, qua causa Froilanum successorum sedi dederunt, iter circa 1033 Romam fecit. In patria redux bullam restorationis dioeceseos Palentinae Sancio Maiori Navarrensi vehebat. Ut aliqui haud inane existimant gratia moderationis novam sedem versus X Kal. Ianuarias (23 Decembris) 1034 ad 1035 usque rexisse sentiunt, et nihil amplius de hoc viro hucusque scitur. Bernardus Orientalis, forte in Oriente Hispaniarum natus, sed antequam episcopus fuerit liturgiam Wisigothicam sive Hispanam iam sequebatur, sane primus iure antistes restorationis esse videtur, atque in sede sua ab 1035 ad VII Id. Ianuarias (7 Ianuarii) 1043 mansisse scitur, post hanc diem in regnum Navarrae coram rege commorasse plerique opinantur et sentiunt. Ei Mirus episcopus in sede a Kalendis Octobris 1043 ad XII Kalendas Maias (20 Aprilis) 1062 verus successor permansit; nihilominus Bernardus Orientalis die IV Idus Ianuarii (10 Ianuarii) anni 1061 adhuc vivebat documentis scitur. Denique alter Bernardus a die XV Kal. Novembris (18 Octobris) 1062 ad 1085 episcopus huius sedis permansit, quem Raimundus (1085-1108) est secutus. Circa novum templum, cathedram primaevam episcopalem, sine festinatione alia nascebatur urbs nomine Palentia.

Eustasius Sanchez F.VILLARAN  
cfr P.8



**RUDENTIS** operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest . Litteras interrogatorias ad Melissam mittantur.

## LUSTRATIO LITORIS BELGICI:

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.

Pretium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

## MELISSAE EMISSIONES LATINAE

Prima phonocasetta unius horae perfecta est .

Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis.

Pars etiam dedita est textibus classicis.

Pretium phonocasettae est 250 F. B. , inclusis sumptibus cursualibus.

**LATINE LOQUI** ♥ Hoc adhaerenti pittacio significare poteris te Latinitatis Vivae cultorem esse.

Unus venit 50 F.B. -Tres veneunt 100 F.B.

Pecunia mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (CCP. Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.

Ii extra Belgium habitantes, qui pecuniam mittunt ad computum, cui index "AMICI MELISSAE", instanter rogantur ut tantum alterutro ex his duobus solvendi modis utantur :

- MANDATUM CURSUALE INTERNATIONALE

- EUROPAEA ASSIGNATIO ARGENTARIA (Eurochèque), ubi pretium solvendum francis Belgicis indicari debet et ubi numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Cum ceteri solvendi modi adhibentur, tanta pars pecuniae accipienda argentaria praecipitur, ut plerumque vix quicquam supersit.

Gratia.